

Nonnulla quippe, ut diximus, prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda: ut cum delinquens, et deprehendi se cognoscit et perpeti has quas in se tacite tolerari considerat, augere culpas erubescat, seque se iudice puniat, quem sibi apud se Rectoris patientia clementer excusat. Qua scilicet dissimulatione bene Iudaeam Dominus corripit, cum per Prophetam dicit: mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens et quasi non videns. Et dissimulavit ergo culpas, et innotuit: quia et contra peccantem tacuit, et hoc ipsum tamen quia tacuerit dixit. Nonnulla autem vel aperte cognita, mature toleranda sunt, cum videlicet rerum minimè opportunitas congruit, ut aperte corrigantur. Nam secta immature vulnera deterius infervescunt, et nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat proculdubio quod medendi officium amittant. Sed cum tempus subditis ad correptionem quaeritur, sub ipso culparum pondere patientia Praesulis exercetur. Unde bene per Psalmistam dicitur: supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. In dorso quippe onera sustinemus. Supra dorsum igitur suum fabricasse peccatores queritur, ac si aperte dicat: quos corrigere nequeo, quasi superimpositum onus porto.

Nonnulla autem occulta subtiliter sunt perscrutanda, ut quibusdam signis erumpentibus, Rector in subditorum mente omne quod clausum latet, inveniatur, et interveniente correptionis articulo, ex minimis majora cognoscat. Unde recte ad Ezechielem dicitur: fili hominis, fode parietem. Ubi mox idem Propheta subjungit: et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. Et dixit ad me: ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi: et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa idola domus Israël depicta erant in pariete. Per Ezechielem quippe praepositorum persona signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere,